Opuscula

COLOSSUS
IMMORTALIS GLORIÆ,
IN REGNO POLONIÆ,

sublimi Meritorum Culmine
Orbis Fastigia excedens.
SEU
Insigne Avitæ CRUCIS INSIGNE;
CELSISSIMI PRINCIPIS,
JLLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. THEODORI
IN POTOK
POTOCKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS,
Legati Nati, Regni Poloniæ & Magni D. Lithv:
PRIMATIS,
PRIMIQUE PRINCIPIS,
ARCHIABBATIS Tynec: COMMENDATARII:
Cui *Præclarissima, generis splendore, ac Virtutum pro Ecclesia & Patria fascibus supereminens, Celsissimæ* DOMUS POTOCIANÆ
Prosapia inscribitur,
in Solemni ad Metropolitanam Sedem
Gnesnensem ingressu,
à Regio Archi-Cænobio BENEDICTINO Tynecensi
ERECTUS,

Anno
Quo, CRUCIS in signo, mundi Victoria parta
1724.

CRACOVIÆ,
Typis, Viduæ & Hæredum Francisci Cezary, S. R. M. Ordinarij Typographi.



LEO S. BENEDICTI

Hoc CRVCIS ut regnet Solium, fascesq; perennent,
Pervigil attendet fortis ab ungue LEO.

CELSISSIME PRINCEPS.

AD Primatialem CRVCIS Tuæ exaltationem cum Leone nostro Benedictino adsumus. Ille, ut ante hunc Pro-Regium excubet Thronum: nos, ut ante hanc honoris Aram, nostra nuncupemus Vota. Sed dum Eminentissima Avitæ CRVCIS CELSITVDO, generis præstantiâ ac Virtutum excellentiâ, siderum attingat apicem, demissa subjectionis nostræ nequit Eam attingere palpebra. Solis etenim Justitiæ Horoscopo, tuus (in quo videre est splendidissimas Numinum ac Nominum Majestates) dedicatus Gloriæ Colossus, excedit Orbis fastigia: ac indefesso Virtutum, in horarum momentis, progressu & ascensu, culmen ascendens Olympi, splendorum adeò coruscat radijs, ut quicquid in Orbis Theatro admirabile est, in comparatione Tui Luminis, umbra fiat. Jam pridem Rhodiæ faces, quæ non tam mortalium oculorum, quàm mentium acuerant aciem, ante Lucis tuæ jubar in Ecclypsim abiêre, ac obscuris propterea Orbem involvêre tenebris. Aut si celebria licet, vana tamen, inter Ægyptios Regum ac Principum fasces, intueamur magnitudinis Argumenta, in eis prorsùs detersus est sublimium gestorum sudor, ac inanis gloriæ splendor extinctus, generisq; præcelsi dejecta Magnitudo. Tu solus, Celsissimus Principum Apex, in DEUM usq; elevaris! quem in simulacrum Sanctimoniæ, Religionis integritas, zelus Ecclesiæ, Amor Patriæ, Jurium Reipublicæ Polonæ defensio, ac omnium efformavit congeries Virtutum, quæ Aulæ Tuæ Archipræsuleæ, totiusq; Celsissimæ & Illustrissimæ Prosapiæ Tuæ, splendores sunt, ac assidua in DEUM manuductio. E Primatiali insuper CRVCIS Tuæ Columna, singulare suscepit Gnesnensis Cathedra fulcimentum, magnanimumq;

nutantis Regni Poloniæ Atlantem: *nec tutiorem alibi* Regalium Aquilarum NIDVS, *quàm in glorioso* AVGVSTÆ CRVCIS Tuæ *trophæo, invenit Pacis Asylum*: *ex quo, Divini Luminis contemplatur Solem, Procerumq́ suorum Pullos, tenacißimo Themidis appendit examini, fideiq́ ac Legum fidos probat, in DEUM & Patriam genios. Aut si qui caligante aspectu degeneres animi, trepidæq́ pro Patriæ constantia produntur imbecillitates; tunc ex hac trutinante* CRVCIS *Libra*, Regina *volucrum, explorat meritorum fastigia, demeritorumq́ descensum. Obeliscum itaq́ sæculorum, Cæli terræq́ Prodigiorum Portentum, triumphale semper Avitæ* CRVCIS Tuæ *Labarum, non tantùm Primatiali, sed Abbatiali etiamnum resplendens Pectoris Sacrario, in Tuæ Augustæ Majestatis augem, atq́ nostrum, non hodie primò benedictum gloriæ ereximus monimentum; quod jam ante immensas Regni Poloniæ meritorum altitudines, inter sublimes Illustrißimæ Tuæ Stirpis, ac immortalium totius Orbis Procerum vertices, celsißimo assurrexit Principatu. Parùm enim esset* Celsissimæ Domûs POTOCIANÆ *pro Ecclesiæ & Patriæ defensione, è Regni Poloniæ duntaxat fascibus, huic inferre* COLOSSO *summitates,* quæ *generis præstantiâ, ac gloriæ fastigiò, tot Regna condecoravit, quot in illis adhuc è* POTOCIANO Marte *perstant heroicarum Virtutum lineamenta. Patiare* Celsissime Princeps *collectam, ac huic immortali inscriptam* CRVCIS COLOSSO *emphasim tui honoris, cui nostrum æternæ gratitudinis subijcimus anathema. Pro Regni interim votis, Antistitum* Celsissime, *coram hac altißima* CRVCIS Ara, *litabis Hostiam, hostibus inscrutabilem paraturus Abyssum.*

Ita Ominatur precaturq́;
Celsissimo PRINCIPATUI

Nomine Devinctissimi Archicœnobij Tynecensis

humillimus servus

P. Benignus Buchowski Benedictinus Tynecensis.

COLOSSI IMMORTALIS GLORIÆ INSCRIPTIO I.

Initium Celsissimæ Domus POTOCIANÆ, *à signo CRUCIS.*

Ingredere Benedicte Domini!
Expansis in CRUCE Tua brachijs,
obvius salutat Honor.
Templum Honoris paratum est:
Veni! & esto PRINCEPS noster!
ut à Patre Patriæ, Regni dilectio,
à Principe Pacis, Reipublicæ concordia,
à Capite, Valetudo,
à CRUCE, Salus ingrediatur.
Tria Te Primum, Principaliora
Avitæ CRUCIS brachia, PRINCIPEM,
in Templum ducunt Honoris:
ProRegem Regni, Regumq; Coronatorem: Regia Regni Corona:
Primum Senatorum Principem: Ducales Mitræ, & Purpuræ:
Antistitum Archipræsulem: Pontificales Scipiones.
Triplex similiter annuli pretium,
Te formosum, Sponsæ Ecclesiæ, in annulo Pontificio desponsatum
commendat Sponsum:
Pro-Regiâ decoratum coronâ, Virtutumq; varietate amictum,
Aurea Principum Sapientia,
lucidissima Sacerdotum Gemma,
æterna immortalis Gloriæ Sphæra.
O esto Sponsus dierum! in annos interminabiles!
quoniam non in Perplexa CRUCIS semita,
commissas ô Pastor Sacerrime, Oves,
ad Cœlestes ducis Agni Nuptias.
Portæ triumphales, lumine CRUCIS signatæ,
Illustrissimo Tuo Nomini patent,
cujus in Potenti Virtutum dextera,
non una, Regno Poloniæ, Ianua honoris aperta.

Unde

In ſignum & Portentum Gloriæ Nominis Tui,
quo DEO approximaris, Eccleſiæq; ſuperemines & Patriæ,
glorioſam Tuam ereximus CRUCEM.

Accipe Primatiale Regnum decoris,

Regnum omnium ſæculorum:

Qui Primarius Regalium diadematum fulgor emines & nitor.

Accipe Archi-Præſuleum Sacerdotij Regnum,

ut ſolium gloriæ teneas:

Talis enim decebat ut nobis eſſes Pontifex!

cujus in CRUCE, nullus dolor: cujus in Tiara, nulla elatio:
cujus in Purpura, optimꝰ ſangvis: cujus in Annulo, lapis ſine offẽſione:
cujus in Pedo, fulcrum ſine caſu: cujus in Cathedra, Oraculũ Veritatis:
cujus in Aris, Iupiter abſq; fulmine.

Atq; hoc ut poſſis certis dignoſcere ſignis,
CRUX Tua, Regnorum faſtigia ſumma tenebit,
Quæ terris fulget, cœlisq; potenter inhæret.

Aſcende Thronum Gloriæ, Pro-Rex Primasq; Regni!
Aſcende Roſis ADALBERTI Purpuratam Archipræſulum Cathedram,

PURPURA PRINCIPUM!

CATHEDRA HÆC

non ultima eſt Tuæ Majeſtatis Eminentia!
Cui per Avita ternæ CRUCIS faſtigia, Cœlis ipſis excelſiori,
Triregium, Summumq; debetur Pontificium.

Ingredere Benedictionum Bajule!

Quæ, in Avitæ CRUCIS libra,

maximum graviſsimorum de Eccleſia & Patria, pondus habent meritorũ:
quoniam in Te THEODORO, inæſtimabile ponderatur Donum DEI.
Quàm glorioſus eſt, in Primatialem Majeſtatem ingreſſus!
dum ab Avitis gloriæ CRUCIBUS,
& CRUX Archipræſulea glorioſior facta ſit,
& Eccleſiæ Cathedra ornatior,
Senatusq; Conſilij Curules, felicitate firmentur,
& Populorum vota, benedictionibus augeantur.

Tu Patrem, Regemq gerat, Tu conſule cunctis,
Nec Tibi nec tua Te moveant, ſed publica vota:
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos,
Principis eſt virtus, pulcherrima Regis imago.

Ad

Ad Triumphale
Gloriosæ famæ signaculum, Signumq; CRVCIS,
per quod Terrestria Celsissimæ Domus POTOCIANÆ
Cælis eriguntur Numina,
Spectator etiam adest, Gentilitius Divi BENEDICTI Leo.
Etenim hoc signo,
quo Nobilissimæ alti Sangvinis evehuntur Purpuræ,
& solemnes rerum gestarum celebrantur triumphi,
Magnanimus excitatur Leo.
Adeò per Orbem terrarum, præclarum est hoc augustissimi
Nominis signum;
ut omnibus etiam Angustis audiatur, quamvis non capiatur, in Angulis.
Permitte PRINCIPVM CELSISSIME,
Leoni ad CRVCIS Tuæ Solium Aditum:
inspiciet ille, in hoc Gloriæ Colosso,
unam Majorum, ex quibus maximi oriuntur, Procerum Imaginem:
ac in gloriosa CRVCIS Ara,
Tuorum fiet solemnis honorum victima:
videbitq;, quia in CRVCIS signaculo,
Annulis signata Pontificum, Clavis notata Ducum,
Purpuris depicta Principum, Sceptris ornata Regum,
Pomis impleta Imperatorum, Domus est POTOCIANA.
Perleget ille Leo, fortissima emeritorum emblematum insignia,
dicetq; POTOCIANAM Domum,
Conspicuam, Coronæ Regni Poloniæ, Regiam esse,
Regnorum insignitam coronis:
Quæ, in Avitæ CRVCIS eminentia,
colligatos Summorum Capitum Apices,
fortissimaq; maximorum Pectorum brachia,
strictissimo conjunxit fœdere:
ac altissimæ Prosapiæ, Rubicunda cruore,
in augem Gloriæ, Celsissimos evexit Purpuratos.
Agnoscit enim universus Orbis,
DOMVM POTOCIANAM
Augustale Regum esse, & Procerum Archipelagum,
ex quo, pretiosissimæ Regnorum Coronis, parturiuntur gemmæ.
Permitte PRINCIPVM CELSISSIME,
Permitte, Leonem hunc, tuis decertaturum triumphis:
Bellantium etenim hic Rex, coram quo tremunt Elephantes,
in campo Martio, Bellico fortior erit Ariete.

Aurea Tuo Imperio, Imperatorum addet poma,
quæ meliùs in florida gustavit Eremo.

Vigil ille Leo

in Annulo Pontificio, Solem diei, noctisq; contemplabitur Lunam,
tuoq; Illustrissimi Nominis delectabitur sidere.
Quia gravissimas illas in aureo ponderabit Annulo gemmas,
quæ auream nunquàm deprimunt Patriæ libertatem.

in Tua PRINCIPALI Purpura,

Illustrissimum hauriet sangvinem;
nec tamen tantæ valebit extingvere gloriæ sitim.
In Archipræsulum Tiara,
illos sentiet laborum pro Patria sudores,
qui nunquàm à natali gloriæ poterunt abstergi Fascia.
In Pedo Pontificio
illam summam venerabitur Potestatem,
sub cujus pedibus, subjecta sunt *omnia jura Regnorum*.
Ad Pontificiam silebit Cathedram:
tanquàm ad Delphicum veritatis Oraculum:
nec audebit rugire, nisi in surdas hæresum Aures.

Adest ecce Leo BENEDICTINUS!

Ad Proregium Avitæ CRUCIS Solium,
tanquàm ad Prodigiosum Salomonis Thronum festinat celeriùs;
ut imperterritus vigiles gloriæ Tuæ agat excubias,
& compositus ad modestiam,
Tuam ô PRINCEPS exornet gravitatem.
Ecce Leo Princeps! oculis quia dormit apertis,
Pro-Regum idcirco ponitur ante Thronum.

Hic sustentabit Tua PRINCEPS Sceptra guberni,
Et Majestatis maximus ultor erit.
Hostibus incutiet terrorem, voce fremente,
Atq; CRUCIS signum, fidus ad astra vehet.

Magnanimus ille Regum, Legionumq;
sub CRUCIS Tuæ Clava Genius,
clavum Gubernij Tui,
fortissimis clavorum vindicabit ungvibus;
& audax in hostes irruet,
nunquàm sine Hostia, nunquàm sine præda,
pro Gloria Tuæ CRUCIS, triumphator
Melleumq; semper Poloniæ sapiet sæculum;
invenietur enim examen Apum, in ore Leonis illius sapientis.

CRU-

CRVCIS Tuæ diademati, nullos ſpinarum intertexet aculeos,
quamvis in eis volutabatur;
in eis enim Roſæ Reginæ ſpectantur,
Quæ incluti Purpuras ſangvinis, & Coronas exhibent triumphales:
illisq; ſpinis, velut radijs,
Diviniſsimam MAIORVM TVORVM adumbrabit Imaginem.
Rugitu ſuo Cœlum provocans,
in Tuas inclinavit Tiaras:
nam diu à Superis eam exoravit Sortem,
ut Tuam ô PRINCEPS adoraret Purpuram.
Etenim,
ſi terreſtrium velimus Numinum faſcias faſcibus colligere,
Procerumq; titulos titulis inſcribere,
illa indelebilia gloriæ ornamenta,
ſtupenti contemplamur oculo,
in Celeberrimo POTOCIANÆ Domus Honorum Templo:
Vbi per Majorum Imagines,
Maxima, Orbi præſentantur, elegantium Virtutum Exemplaria.
Antequàm Regnorum Regina, Regumq; Parens,
Mater honoris, POLONIA,
diademata parturiret;
jam POTOCIANÆ Domus vertici, debebantur Coronæ:
In cujus gloriæ fundamentum, & benedictionis bazim,
Lapis Angularis, ſub Avitæ CRVCIS honorum pondere,
à Cælo demiſſus.
Quia Domus benedictionum plena, non poteſt eſſe ſine ſigno CRVCIS.
Proſapia POTOCIANA
Imbecillem Infantiam non habuit,
quæ robore CRVCIS armata,
Fortiſsimos Hectores & Achilles edidit Duces.
Vt vel inde Anguſto pateat Orbi, immenſos adhuc brevibus in faſcijs
regnaſſe faſces.
Majorum Majeſtatum,
de quibus Maxima reſplendent Numina,
Imago eſt:
Cujus Aſpectus, adhuc in Poloniæ infantia, matura Heroum
eminebat fronte.
Conclave Præcordiorum eſt:
Cui clavis confixum, ita Divinum inhæret Numen,
ut à POTOCIIS avelli non poſſit Aris.

In quibus, Majorum Imagines, Illustrissimæ sunt Ceræ,
quæ nullum habent perituræ gloriæ fumum.
Nullamq; vetustissimi patiuntur honoris ecclypsim.
De radijs LVX nata CRVCIS
Quæ Lumina terrestriũ Numinum, ante Lechici Poli Phosphorũ genuit,
è lumine gloriæ venit.
Domus est Stelligera,
Circa cujus honorum apices & axes, velut immobiles Regni cardines,
totum Orbis Poloni movetur Cœlum.
CRVX Hæc Avita,
In POTOCIANO Purpurati Sangvinis Eridano,
Anchora est: quæ Navim Regni,
Aureo Serenissimorum Regum vellere onustam,
inter contrarias detinet classes & fluctus.
CRVCIS POTOCIANÆ brachia,
sunt firmissa Regni fulcra,
sub quibus victrix triumphat Polonia:
Ducales sunt Moysis elevatæ Clavæ:
quæ dum gloriosa sublimantur fortitudine, nunquàm remitti possunt:
nam hæc brachia CRVCIS, in Regum ac Principum lineis conjuncta,
benè coädunatum habent gloriæ culmen.
CRVX hæc Bona,
Malus est: bonis ethesijs, lætis avibus, Cursum olympiacum
laborum Reipublicæ, ad portum Pacis & metam deducens coronarum.
Cathedra est: de qua sumus
Edocti, non posse capi nisi de CRVCE Cœlum.
Via est honorum Appia: Via Aemilia: Via Triumphis trita:
quæ gloriæ monimentis, sub Avitæ CRVCIS ornatur Colossô.
Domus POTOCIANA,
Martis Progenies est, Mortem nesciens:
nec immeritò, clavâ honoratur CRVCIS, ut in CRVCIS vivat vita:
ut ad clavos honorum, & ad gubernacula crescat Regnorum:
ut emineat Augustis Imperatorum Diadematibus,
sublimibus Regalium Majestatum Thronis,
eminentissimisq; Pontificum Purpuris:
ut superæquet natalium fastigiô
Iulios, Pompejos & Alexandros:
Sapientiâ Salomones, Fortunâ Cyros,
Opibus Asveros, Ditionibus Macedones,
Populis Xerxes, Fortitudine Hercules,

Fasci

Fascibus Patricios, Gloriâ Tarquinios.
Erigitur in Gloriosam Procerum Idæam;
ut præsentem semper agat Cæsarem & Regem:
In Bello Alexandrum, in Victoria Constantinum,
In Pace Octavianum, in Senatu Trajanum.
In sublime Lechicæ Gloriæ Cælum, attollitur CRUX POTOCIANA,
Quæ prius à Cælo demissa fuit:
Virtutum nempè Magnanimitas, & fortitudo de Cælo venit:
quæ viribus invicta, fatoq; Major, sola perennis est.
Legat Cælum
Celsissimæ Domus POTOCIANÆ, Virtutum de Virtutibus ascensum,
quæ Cælo coronandum intulit Caput:
Cujus Gloriosa Propago,
dum à floridissimo ZIROSLAVIORUM, Magnorum Procerum
palmite, propagatur: palmas Victoriæ nunquàm amittit.
Sub BOLESLAO adhuc Audace
cathafractis induta decoramentis,
Principum promeruit Purpuras.
Satis audax ZIROSLAVIUS terruit hostes,
dum totum terruit Orbem.
Serenissimorum demum Poloniæ Regum æstimatione,
BOLESLAI CRISPI & CASIMIRI IUSTI,
probata imperterriti Martis, strenuæq; pro Patriæ coronide,
quæsita Corona justitiæ, CRUCIS insignitur Labarô,
ut in una generis dilatatione, tota Regnorum explicetur gloria.
ZIROSLAVIUS Genius, primus inventus Vindex honoris,
nullô periturus ævô,
plus quàm Fortissimus Carthaginensium Dux,
primus ad Fortalitij portas Annibal,
primas semper hostium confringens Acies,
hostias & Aras primæ promeruit laudis.
Integritatem Regni, divisionibus subducens cladium,
unus in Lusu, contra ROXOLANOS, Martis,
omnes Regni elusit hostes.
Quoties ille in Hostes, Lechicus fulminabat Iupiter,
toties emeritæ coronæ, conceptas ex Cruorum Oceano
collegit gemmas.
In duplici PRUTENORUM clade,
quot capita ceciderunt,

Tot ZIROSLAVIO vertici subjiciebantur Coronæ.
Hostis erat in caput hostium,
qui antequàm capita amisissent, jam ei Coronas deferebant.
Sub CASIMIRO JUSTO
Duplici CRVCIS clypeô, justitiæ emeritum roboratur pectus,
Coronaq; Justitiæ, CRVCIS insignitur honore.
O verè ZIROSLAVIVS, bellator fortis!
pro scissis Regni præcordijs, cor infractum!
Ex ferro, quo vicit, triumphali, auream Patriæ libertatem,
ferreumq; subjugatis hostibus, intulit jugum.
Ex ungvibus *Aquilæ Prutenæ*, ipse fortior in Vngve Leo,
Gladium quem Victor eripuit,
Regali Poloniarum Volucri reportavit:
quo licet hostes reddiderit elingves,
suæ tamen gloriæ, sat vocales effecit hostias.
Hic est qui primus compresserat hostibus ausum,
Non sibi sed Patriæ, spolium de robore Martis
Accumulans laudis: victoria plaudat Achati!
Tertium medium Avitæ CRUCIS brachium,
à Regni Monarcha *CASIMIRO JUSTO*,
justô gratitudinis collatum titulô,
fortissimam repræsentat dexteram,
quæ Hercule validior,
detestanda fidei jugulavit monstra:
profligatæq; perfidiæ, succisis multis in Hydra cervicibus,
Æviternum gloriæ erexit anathema.
Ex cladibus hostium, hostiarum cælis intulit Colossum;
quia zelum Domini, Cælo legendum præsentavit,
Martemq; & Artem, terris immitandum exaravit.
ZIROSLAVS à laude prognatus,
meritorum tributum habet ab Origine obstrictum;
Thura Dij capiunt, homines sed munera laudum.
Vnde meritis enutritus, nonnisi laudibus ali debet;
quia necdum vivere desijt,
licet vitam mutáverit.
Lares ejus domestici, sunt Immortales Inquilini:
Laus, Honor, & Gloria.

Sed

Sed Justitia, quæ de Cælo respicit meritorum pondus,
POTOCIANÆ Domus dignitatem, in CRVCIS ponderat bilance:
consciaq; sibi quia per CRVCEM Victrix,
Avitæ CRVCIS Trophæum, in Lumine Sanctorum, Victriciumq;
signorum Honorario, ultra æternitatis apices extendere prætendit:
Tertiamq; alteram Emeritæ CRVCIS addet partem,
ac in parte DEI hæreditariam, Ligno conjunget Vitæ.
Hic est hæreditarius, ZIROSLAVII Ducis,
pro Patria certantis,
nunquàm delendus sudor & honor:
Qui se in amplissimũ POTOCIANÆ Domus diffundit Eridanum:
Ex quo Principes Regnorum oriuntur Soles.
Inter quæ Lumina,
Tu Principum Celsissime, Primasq; Regni,
Luminare Majus:
Sub cujus amæno prospectu, Polonia, nunquàm tristem vidit diem:
quia primo PRINCIPI, tanquàm Primo adjuncta mobili,
immobilis ab illo & inconcussa perstat.
Ex hoc POTOCIANO Archi-Pelago,
Cultissima Principum Gemma, pretiosissimusq; exurgis Vnio Regni:
Summoq; CRVCIS albæ coruscans honore,
candidum efficis Reipublicæ Senatum.
CRVX nimirùm alba, in Campo Cœruleo,
Angelicæ Innocentiæ, Cælestiumq; Virtutum explicat nitorem,
ut vel inde Sol Justitiæ,
In splendidissimo Avitæ CRVCIS Zodiaco,
Cursum peragat benedictionum,
lustretq; & numeret multitudinem stellarum Illustrissimæ
Prosapiæ POTOCIANÆ,
Omnibusq; POTOCIIS Proceribus, magna nomina vocet.
Ast harum nitidissimarum Stellarum principalis Corona es,
Celsissime Principum,
Regum Coronator!
quia quot Luminum splendores in illis conspicui sunt sideribus,
tot Numinum recensentur tui Pontificij annuli Adamantes.
Extensio Partium Avitæ CRVCIS POTOCIANÆ, trina quidẽ sit,

 ta-

tamen in ordine ad locum,
extendit se ad quatuor mundi Partes.
Quæ CRUX Nobilissima,
cùm primum sit gloriæ prædicatum,
& radix cæterarum eminentiarum,
illas omnes naturæ dotes, extensas habet in se:
adeoq; mensurâ indivisibiles.
Quantitas Magnificentiæ Avitæ CRVCIS,
cujus partes copulantur pretiosissimi generis, lineis,
magis quidem suscipit, sed minus non;
quia conjunctus in illo Originis Solio Sangvis,
cum Cæsarea PALÆOLOGORVM, in Oriente Purpura, rubuit:
& adhuc in ROXOLANIÆ Monarchis, cum Serenis: MOSCHOVIÆ
Majestate resplendet, per Illustrissimam SOLTICORVM Sangvinis
conjunctionem: quæ etiam Daciæ Sceptra, Ducumq; VALACHIÆ
& MOLDAVIÆ pulcherrimo colligavit nexu.
Nec non Celsissimus POTOCIANÆ Domus Sangvis,
à maximis Purpuratorum profluens Venis,
ita in altum gloriæ ebullijt Profluentem,
ut etiam Regiæ SOBIESCIORVM intinctus coronæ gemmis,
Purpurato Orbis innatet Oceano:
ac usq; Hispaniæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bavariæq; verticibus eniteat.
Vnde Avitæ CRVCES, tot Coronis insignitæ,
Expressa sunt signacula Regnorum.
Nec nõ POTOCIANA avitæ CRVCIS diademata,
præstantissimis ornantur Lilijs,
per floridissimos Regnorum Galliæ Comites de ARQVIAN:
adeò conjunctis Majestatum evecta, contextaq; coronis,
ut nullum invidum valeat hostis innectere aculeum.
ac ultra tot Purpurarum auges,
nisi Triregium summumq; Romanæ Vrbis restet Pontificium.
Ad quod capiendum,
tot Majestuosa Vestigia, tritam ostendunt Viam.
Quare Principum CELSISSIME,
CRVCIS Avitæ Celsitudo,
Solium Tuum est super omnes Principes:
Splendor & Virtus illius,

in

in Annulo Pontificio pro Adamante fulget:
Cujus benedictio,
Venenosas Patriæ Lymphationes, metusq; vanos,
ex Heroum mentibus abigit:
Martemq; Regni tunicâ tegit adamantina,
ut infractus & invincibilis ejus vigor,
non tam in sua, quàm in Tua, vincat fortitudinis dextera.
Mentis itaq; CRUX medicina est.
In Te Vno THEODORO, Donum DEI scimus:
atq; in Te Vno Dono,
Opulentissimum Fortunæ Gazophylacium,
Tota facta est Polonia:
minùs dixerim:
dum à DEO donatus, Te ipsum dones in Patriæ Patrem,
primumq; Regni Poloniæ pretium.
Ac ideò Te pateris in primum extolli Principem;
ut primo clementiæ vultu, omnibus præluceas.
Suscipis Principatûs CRVCEM, super humeros;
ne ignores in pignore CRVCIS, cum fœnore pretij,
commissam esse Tuis viribus, Regni salutem.
Avita CRVX Tua, vitæ lignum est,
in medio Lechici Paradysi,
à quo vita Regni pendet immortalis;
quoniam fructus honorum Tuorum,
insatiabilem adferunt Gloriæ gustum,
Nativa CRVCIS Tuæ eminentia,
attingi non potest condignis laudum gradationibus,
Cujus immensa sunt benevolentiarum brachia:
Cujus Virtus, mensuram nescit gratiarum.
Nam Princeps natus,
nativam comples Principalis beneficentiæ Principum congeriem.
Vnde Primatialis Purpuræ Murex,
Assyrio amictu Majestuosior,
Tuo non suo rutilat splendore Major;
postquàm tantæ induerit æstimationis Principatum.
Gloriosus CRVCIS Tuæ Arcus,
in Orbe Lechico

 Pur-

Purpurea Gratiarum Iris est:
Nempè
De CRVCIS hoc signo, novus alti sangvinis imber,
Et benedicta nimis de CRVCE vita fluet.

O D E

PRæclara Regum stemmata: Sangvinis
Illustre Nomen: Cûi Atavum genus,
Affine Cælum colligavit,
POTOCIANA Domus, stupenti
Remonstrat Orbi. Làomedontiæ
Propago Stirpis, gentis honos (cuî
Fortuna terris in Deorum
Principio, generis dicavit
Primum theatrum, nescia gloriæ)
Vidit ruinam: præcipiti gradu,
Themistocles cum Xerxe lapsus,
Nominis immemori sepultus
Jacet Colosso. Sed Tua Principum
Præcelse PRINCEPS, progenies CRUCIS,
Qua Vita crevit tota, flore
Perpetuo viret atq; vivit.
Hæc alta CRUX, frondet Platanus comans,
Sub cujus umbra, Regna quiescere
Spectamus: est & Palma Victrix,
Fulmina qua trepidant minacis
Mavortis. Hæc CRUX, Regius est Thronus,
Rex Magnus, in qua judicat arbiter,
Regniq; concludit Tribunal,
Fædera tum benè pacis armat.
Insige Cælis, hoc Labarum CRUCIS,
Est terra punctum: sideribus patet:
Immensa Majestas Olympi,
Húic Labaro sua signa junget.

COLOSSI IMMORTALIS GLORIÆ INSCRIPTIO II.

Maxima, in Ecclesiam & Rempublicam, insignium gestorum POTOCIANÆ Domus *merita celebrantur.*

CELSISSIME PRINCIPUM!
Quos Honor genuit, Matre Bellona,
Quos Innocentia lactavit, Nutrice Sanctimonia,
Quos fortitudo educavit, munifica Liberalitate,
Quos Justitia erudivit, de Cælo prospiciente fidei Magistra,
Quos Libitina vidit immortales Heròés,
POTOCIOS habemus Proceres.
Quot in Eis gloriosa prædicantur facta,
tot illis honorum recensentur victimæ:
Quot hostes straverunt, tot aras meruerunt.
Nimirum:
Victima quæ dextrâ cecidit Victrice vocatur,
Hostibus à domitis, Hostia nomen habet.
Et quos ab invẽtione Avitæ CRVCIS numeramus gloriosos triũphatores,
Eos, exaltationi Tui Nominis attollimus, honorum Imperatores.
Nam venerabilior de CRVCE surgit honor.
Primam, Patris Patriæ,
Tuiq; Sangvinis adoro Purpuram,
ILLVSTRISSIMI DOMINI,
PAULI POTOCKI,
CASTELLANI KAMENECENSIS.
De cujus *Rupe & Petra*, excisum est excelsum Honoris Tui Solium.
Patrisq; gloria, spectatur in Filij Majestate.
Nam RUPES illa,
Auream, in Regno, PATRIS TVI Sapientiam,
ex Aurifero POTOCIORVM Numinum Pactolo emersam,
plus quàm Lydius æstimavit genius:

E unde

unde & *Rupes illa*, in Senatorum Subsellijs,
ob emeritos tanti Viri gradus,
non unum inæstimabilis gloriæ meruit ascensum.
PAVLVS Hic, in gladio suo fortissimus Gedeon,
quoties Geticas perstrinxit acies,
toties Othomanicas infregit Portas.
Imò spiritus Ejus, licet ad Regni Cælestis volârit Phalanges,
vivit tamen adhuc in corpore Reipublicæ;
eò quod gladiô armatus,
immortalis fulgeat ante Lechicum Paradysum *Cherubin.*
Quod enim cor est in corpore animantis,
hoc est, Princeps in Republica, cor immobile.
Ex cujus primo connubiali, cum Illustrissima JARMOLINSKA,
gemmifero annulo, illuxit Orbi inæstimabilis Pyropus,
Illustrissimus STANISLAUS POTOCKI,
CASTELLANVS KIIOVIÆ.
Hujus magnificentiæ pretium, quamvis ab invido Cælo ereptum terræ,
ac inter siderum collocatum fasces: tamen in superstite sangvine
rubent adhuc, lucidissimi carbunculi: qui Regiæ
SOBIESCIORVM Purpuræ, majestuosam addiderunt lucem:
aureisq; clypeis, gemmeas inseruerunt Cruces.
Ex secūda connubiali, Illustriss: SOLTIKOWNA,
Serenissimorum *Moschoviæ Imperatorum ac Principum* Aurora,
Nativi oriuntur Soles:
à quibus Serenissima Respublica meridiem,
campusq; Martius uberes perpetuæ felicitatis accepit Myriades.
Ex illo nempe connubiali vinculo & nexu,
gravissimi assurrexerunt manipuli, & Messes honorum.
Quorum Tu Prima Lucis Purpura,
Primusq; *Odor Agri pleni, cui benedixit Dominus:*
Prior in Donis & Major imperio Ecclesiæ,
Primumq; Donum DEI,
CELSISSIME PRINCEPS,
ARCHIPRÆSVL GNESNENSIS,
Regni Poloniæ Primas, Primusq; PRINCEPS es.
Illu-

Illustrissima etenim Principum
MATER TUA,
Arbor honoris & exoptatæ spei,
non potuit nisi excelsos honorificentiæ, ad sidera, attollere ramos:
Nam Palma Cælis brachia collocat,
Laurosq; nectens dedicat inclytos,
Messemq; fructumq; almum honoris,
Parturiunt benè culta prata.
Vix Te, Purpureis è Principum Cunis, Lucina levavit,
& jam tenebris exemptum aspexit ortum:
paremq; Numinum Iovi partum adoravit,
nascere (inquiens) *Magne Puer, cara DEUM Soboles.*
Ita enim doctis baptizatus fontibus,
ætati adoleveras & Sapientiæ,
ut Apollini potiùs, quàm ille Tibi, laureas explicares.
Nam Canon, & perfecta vitæ videbaris Regula,
quasi à Tuo Pallas prodijsset cerebro.
Perspexisti Provinciarum Climata: quæ tamen Tuo perspecto Virtutum,
sunt illustrata splendore.
Dum in Patriam redires Virtute provectior,
statim Te Patriæ Patrem obvius salutavit Honor.
Culmenses tiaræ, necdum Supremum fuerant Tuæ Gloriæ *Culmen.*
Nec *Varmienses & Sambienses* Cathedræ, Tuas emetiri poterant laudes.
Adeoq; in Primatialē eveheris Pro-Regis Thronum.
Ardet in Varmiensibus Aris, quas erexisti,
Præsuleus erga DEVM zelus & ardor,
Plus quàm Vestalis Lucerna.
Avitæ Tuæ CRVCES absq; cruciatu, versæ sunt in dulce lignum.
Ex quibus *Pastor & Rector Animarum*, Salomone gloriosior,
veram Ovibus Tibi commissis,
velut de lignis Libani, escam parasti.
E Divinissimi, Societatis IESV, Patriarchæ cineribus,
inextingvibiles in DEVM flammas excitasti,
postquàm Societatis IESV Luminibus Sanctis,
quæ non tantùm Indiarum, sed & Orbis totius tenebras illustrârunt,
Solemne, in Varsaviensi Vrbium Corona,

Pantheon erexisti:
ubi fidei firmares Propugnacula,
& celeberrima fulminum Numina,
contra Lutheranam augeres Hydram.
Sed & Tuus Seraphicus Ardor
in Angelico Divi FRANCISCI Pectore,
eleganter æstuat,
Cui Cælestia, Angelicis notanda pennis, in Varmiensi sublimasti Sacrario.
Ac ideò totus Orbis, agnoscit Te *Angelum* DEI esse:
in cujus *illuminatione* cordis,
veluti in *Throno Angelorum*,
placidissimè *DEUS quiescit*.
Noveras etenim ô PRINCEPS, quod & compleveras,
quia duo sunt, quæ ab Egregijs Principibus spectantur:
Sanctitas Domi:
foris, domesticæ Sanctitatis exemplum.
Princeps siquidem est Imago & exemplar DEI in terris.
O verè justum & Legitimum PRINCIPEM!
Qui summô præcellens fastigiô, non magis magnus,
quàm bonus haberi desiderabas:
duasq; res diversissimas, potentiam ac modestiam miscebas:
Quali præesse & prodesse, Virtutis unum esse Adamantem,
& Vnionem Regni demonstrasses:
Cujus divisio eò impossibilior,
quò fortior Virtutum còádunatio.
Nec præest Corona, si caput desit aureum:
Nec tiara ponderatur, si sudorum coralijs non sit onusta.
Nec imperant Sceptra, si non stricta comprehendantur manu.
Nec Reges regnant, si Regno careant.
Sed quis cecidit? Tuo suffultus pedo,
quis erravit? Tua prælucente tiara.
Agnoverunt è Pontificiali Cathedra loquentem
Verum Pastorem, veræ Oves.
Nempè Te tonante, fluentes oculorum imbres,
saxea cavabant corda:

dilu-

diluviumq; devotarum mentium, atra diluebat crimina.
Audierunt sua Hæreses fulmina!
Suosq; Orthodoxa Ecclesia militans triumphos.
CRUX Tua Avita,
In Tiara, sollicitæ patuit Oculus Providentiæ,
quo Prospiciente,
Et Ecclesiæ coöperta Gloria,
& impleta Patriæ Bonitas.
In Purpura, Indumentum fuit honestatis,
A Qua, dum Regnum decoris Tui, egregium accepisset Ornamentum,
Nuda in eo, sola remansit Veritas.
Stolam tamen meruit primam,
Vitijs exspoliata Patriæ Virtus.
In pedo Pastorali, CRVX Tua, præfuit Regni Virga,
qua vigilante, vitia tremebant,
qua præcedente, errata corrigebantur.
In Annulo Pontificio, CRVX Tua, gemma resplenduit Sanctimoniæ,
qua serenante, effusa aruerunt corda:
qua scintillante, vitiosi excæcabantur oculi:
qua benedicente, mentes sanctificabantur.
Ita Purpuram induisti,
ut nullæ eam exedentes detrahere valeant tineæ.
Ita tiaram gestas, ut omnibus emineas.
Sed & nunc CRVX Tua, in Primatialem Pro-Regis evecta
Thronum, Archipræsuleáq;, Signata, Tiarâ: quid est?
nisi nativa emeriti Tui Capitis Eminentia.
Altiùs enim Te efferre non potuit POLONIA,
nisi in Primum, Summumq; PRINCIPEM,
Qui primis, summisq; Virtutum vestigijs,
maxima Principum potitus fastigia.
In supremum POLONIÆ evectus es Principatum!
Et tamen adhuc Principales meritorum supersunt gradus.
CRVX Tua gloriosa, à pectore pendens Archi-Præsuleo,
Primum est cor Regni, firmumq; Reipublicæ pectus.
Et benè!
Summa dignitas Annulo Tuo subarrhatur Pontificio;
quoniam primam Ecclesiæ ac Regni promeruisti desponsationem.

Benè Pro-Regio coronáris diádemate,
Primatialiq; Principum veſtiris Purpura;
Virtus etenim, ſub ponderoſa CRVCIS Majeſtate,
niſi coronata, niſi purpurata debet incedere.
Aliorum Faſces, cæca oberrat Fortuna,
Aſt in Tua benè perſiſtit CRUCE:
quoniam viſum accepit, à Lumine gloriæ CRVCIS Tuæ,
in Qua Summos illos veneratur Capitum Apices,
qui non ſorte ſed meritis ſunt elati.
Brachia CRVCIS Tuæ, ſunt *dexteræ* fortitudinis dexteræ:
adeoq; ignorant & neſciunt ſiniſtram Fortunæ manum.
In CRVCE Tua, volubilis arcetur fortunæ Rota;
quoniam Te nullus evexit impetus gloriæ.
In alijs honoribus, vitioſum fecerit circulum;
Aſt in CRUCIS Tuæ Diametro,
perfectam immortalis coronavit Coronæ Sphæram.
Numinis Hoſpitium CRVX eſt, & Numinis Ara,
Eſt conclave DEI, POTOCIANA Domus.
Pontificis zelus, Pietasq; hac ardet in Ara,
Hoſtibus ut rutilent ignea tela Iovis.
De CRVCIS hoc Solio, panduntur fædera Regni,
Vnde ſalus Regni, & Pax benè tuta patet.
Regnorum Paries, CRVX eſt, & murus Ahænus,
Vexillum Regum, præcipuumq; decus.
Non potuit digniores Mars Polonus metere laureas,
quàm in potentiſsima dextera
Illuſtriſsimi ALEXANDRI POTOCKI,
PALATINI SMOLENSCENSIS,
FRATRIS TVI,
Qui Macedonum fortitudine validior,
non aliâ, quàm PATRIS ſui victoriâ, vincere doctus.
Dux invincibilis Armis.
Cujus in fortitudine, firma Reipublicæ ſecuritas,
certaq; decertantis Patriæ ſalus fuerat.
Totus erat Patriæ Clypeus, Columenq; decorum;
Fortia pugnarunt brachia nempe CRVCIS.

Sed *à Domino Exercituum*, ad Cælestem vocatus Cohortem,
Obtulit arma CRUCIS, cumulans sua bella triumphis.
Eamq; in Progenie sua, magnificandam reliquit fortitudinem.
Vnde POTOCIVS, Capitaneus SZCZERZECENSIS,
trita PATRIS vestigia secutus Virtutum,
per magnum meritorum ascensum,
Curules & trabeas, pridem suo devicit honori.
In Illustrissimo autem PETRO POTOCKI,
PALATINO CZERNIECHOVIENSI,
FRATRE TVO
firmissimum Ecclesiæ ac Patriæ robur veneramur:
quod huic Petræ insculptum,
nullæ sæculorum Plejades excavare,
nulla Orionis tela valebunt infringere.
In hac Patriæ Petra, Solæ Patriciæ secures,
& gladij acuuntur Pompeij:
Vnde hostilis Armatura, stabit attonita, ad hoc Regni Antemurale:
videbitq;; quia PETRVS,
Viribusq; egregijs & firmo pectore præstat.
Illustrissimus STEPHANUS POTOCKI,
Supremus Regni REFERENDARIVS,
FRATER TVVS,
Aureum os Regni:
Cujus in pondere vocis, Auris inclinatur Reipublicæ.
Hæreditariô Reginæ Eloquentiæ dotatus imperiô,
ut possit Regnum ex ore mereri:
Tullius eloquiô: *Cujus sub Jure, Togaq;,*
Justitiæ vigiles metuit Catilina secures.
Pretiosas etenim facundiæ gemmas,
tam in Nominali STEPHANI Corona,
quàm in Regali nitentes diademate
Lechicus æstimat Orbis:
quasi à coronato STEPHANI Capite,
CORONA Regni, novum induerit pretium.
Hæc copiosis alveis, à Magno PARENTE,

 dif-

diffunditur in labia Filij sui,
Illustrisimi JOACHIMI POTOCKI,
CAPITANEI TREBOWLENSIS:
Cujus teneram frontem, imperterriti Hectoris animô indutam,
Mars ipse Polonus considerabat attonitus.
Et Pallas audiens Tritonia,
Gloriabatur Minervæ suæ PRINCIPEM invenisse
graviorem Catone:
postquàm pusillus hic Alcides,
Qui in Cunis magno jam Jove dignus erat,
Lechici Sustentator Orbis æstimaretur futurus.
Ita Serenis: Regem AVGVSTVM II salutavit;
quasi secundissimas vertici suo Vates prædixisset Coronas.
Sublimis est Hic Aquilæ Polonæ pullus,
In Regio Solis prospectu, suorum Speculator fascium:
Seu Pulcherrima Lucis Aurora,
Majora prænuncians POTOCIANÆ Domui Lumina.
Ita eruditis ingenij gratijs abundans,
quasi illum in cunis, velut in Cathedra, Pallas erudijsset,
non posse, nisi ab Apollinis subsellio, in Senatorum evolare Curules:
nec titulorum splendores posse nitere, sine eruditionum Lumine.
Princeps Orator, Patris non degener Oris
Dixit, & Orbis ait: Studij primordia Vestri,
Vix meruêre senes: Lauris accresce Paternis.
In Cælestem Prospectum abijt Domus POTOCIANA:
In qua, pulcherrima siderum ornamenta,
post occasum suum sereniora terris illuxerunt.
Illustrisimus AVUS TUUS,
STANISLAUS POTOCKI,
PALATINUS BRACLAVIENSIS,
Illustrisimum STEPHANUM POTOCKI,
PALATINUM BEŁZENSEM,
Cælo Lechico Solem reliquit:

Cujus

Cujus Nutibus, Aquila Regia, ita manet infixa;
quasi illius quondam magni Sideris
Illustrissimi STANISLAI POTOCKI,
PALATINI CRACOVIENSIS,
& Ducis Generalis Exercituum Regni,
præsentem adhuc spectaret faciem:
à Qua, ingentes refulserunt radij:
Illustrissimus ANDREAS POTOCKI,
CASTELLANVS CRACOVIENSIS,
Et Illustrissimus FELIX POTOCKI,
CASTELLANVS CRACOVIENSIS,
& Dux Generalis Exercituum Regni,
Qui Aemilijs Romanis similes, Scipionum fascibus sunt inserti,
ac à mortalibus ad immortales vocati coronas.
Nam ANDREAS, in CRVCIS Clava, Dux fortissimus,
nomine & omine *nulli cessurus in armis*:
Turcarum Domitor, hostium ruinas, cladibus implevit,
Patriæq; Defensor, Regni triumphos, victorijs auxit.
ANDREAS Hic, ad *Camenecum*, terribilis erat
ad *Portam Othomanicam* Annibal:
E sangvine Getico, non aliam fortitudinis progeniem,
quàm victoriæ suæ partum accepit.
Inexpugnabile, CRVX ejus erat ànte *Viennam*, Propugnaculum,
In quo, & fidei securitas, & Robur latebat Patriæ Christianæ.
Nam per illum CRUCIS Tubum, Speculator Orbis,
jam pallore, jam rubore suffusam Turcicam deridebat Lunam.
ANDREÆ Crux fortis erat, tum dextera fortis,
Turcica, quæ, fregit titubantia cornua Lunæ,
Sustentans Orbem Lechicum, fortissimus Atlas.
Porrò ANDREÆ fortes animi dotes, in Filium accrescentem
transfunduntur.
Illustrissimum IOSEPHUM POTOCKI,
PALATINVM KIIOVIÆ,
Varsaviensem, Lezayscensem Capitaneum,

Tribunalis Regni Supremum Judicem & Mareſchalcum.
Qui in Triumphali CRUCIS clava,
tot victorijs feroces coërcuit Hannibales,
quot Fabios maximos præſentavit in Acie.
Tarquinio in Magnificentia compar,
Trajano in Munificentia æqualis.
In CRUCIS Libra, Aſtrææ Genius Themidis:
Juſtitiæ Cultor, rigidi Servator honeſti:
Qui recto dextroq; gerit cum pondere lancem:
graviſsimorum ſuorum meritorum pondus,
pridem Æſtimationi Regni comprobavit:
Nam & Æquitas Reipublicæ, in Statera benè merentium,
dignitatem ejus, ita ponderavit,
ut JOSEPHVM, Augmentum decoris Regni proclamaret.
JOSEPHUS, Gloriâ creſcens mundi Poloni,
qui Patriæ faſces, proprijs nutrit honoribus:
Ex connubiali cum Illuſtriſs: LESZCZYNSKA,
Palatini Podlachiæ Diana,
lucidiſsimũ Lechicis ſideribus genuit Phoſphorum,
Illuſtriſsimum STANISLAUM POTOCKI,
CAPITANEVM HALICIENSEM:
ut ſuccedat in Apogæum honoris, illius magni quondam Sideris,
STANISLAI POTOCKI,
CAPITANEI HALICIENSIS,
Qui Turcicas expulſurus tenebras,
dum in ſangvineo occubuiſſet ante *Viennam* Oceano,
clarior poſt nubila mortis, exortus eſt Phœbus.
STANISLAVS, non tantùm ſuos ad vitam revocat gloriæ Manes;
ſed & multorum eſt Reſuſcitator animorum,
in arenam & pulverem Martis, pro fide.
Noverat hic Belliger animus,
Dulce & decorum eſſe pro Patria mori,
Occaſumq; unius, ortum eſſe alterius honoris:

Et

Et quamvis morte cæsus, Marti tamen non cessit;
quia ex relicto spiritu ejus, salva vivit Polonia.
Per Vmbram Mortis, Lumen Gloriæ delineavit æternæ.
Clarissima etenim Majorum Lux,
in umbras noctis, nullatenùs ita desinere potest,
ut non novum gloriæ pariat diem.
Ex campo Sangvinis, uberem Regno reliquit gloriæ Messem:
Vt ex imbrifera scilicet nobilissimi Sangvinis inundatione,
velut ex pulcherrima meritorum fæcunditate,
Martius effloreat Campus,
assurgatq; Celsissimus immortalis gloriæ Colossus.
Cujus Pugnanti audaciæ, nihil fuerat inexpugnabile:
Cujus opus fortitudinis, omne fuerat coronandum.
Audentes DEUS ipse juvat, stimulatq; coronis.
Nec immemor tantæ gloriæ, Orbis Lechicus,
Pro Regni votis (Ejus) *in CRUCE vota facit.*
Sed vix laudum POTOCIANÆ Domus aggressus initia,
revertor ad Felix Poloniæ sæculum,
sub Illustrissimo FELICE POTOCKI,
CASTELLANO CRACOVIENSI,
& Generali Exercituum Duce:
Quo manuductore, quia Respublica feliciter ducta est,
Ipse ad perennem à Domino Exercituum,
deductus triumphum.
Ex cujus connubiali, cum Illustrissima LVBOMIRSKA,
PRINCIPVM PVRPVRA,
Nativi Reges effloruerunt.
Illustrissimus MICHAEL POTOCKI,
NOTARIVS REGNI,
ex rebus egregiè gestis, fortunatissimô notatus calculô,
Qui CRVCIS in Statera, ponderans Regni dignitatem,
Libro vitæ Reipublicæ, nonnisi primos Domus POTOCIANÆ,
honores inscribere debet,
tanquàm prima in Annalibus rerum gestarum voluminibus,
Libri Capita legenda.

Dumq; ruinas Patriæ expunxiſset,
hoſtium arma proſcripſit.
Illuſtriſsimus JOSEPHUS POTOCKI,
PRÆFECTUS Excubiarum Regni,
vigilantiſsimus fuerat integerrimæ Innocentiæ Regni Cuſtos:
ac licet inſomnes noctes, ad quietem transtulerit æternam,
tamen adhuc in umbra mortis,
inter Procerum ſidera,
Mors illius, Lunâ clarior.
Illuſtriſsimus STANISLAUS POTOCKI,
PRÆFECTVS Excubiarum Magni Ducatus Lithvaniæ,
Fortiores ad arma vires armaturus,
Lithvano Clypeo, Patrium adjunxit CRVCIS emblema:
quatenus hoſtibus,
ipſo Priſcæ Imaginis aſpectu,
terrorem, mortisq; ſomnium incutiat.
Illuſtriſsimus GEORGIUS POTOCKI,
CAPITANEVS TLVMACENSIS,
inter Ruſsiæ Proceres, illud vivum gloriæ ſpectatur Theatrum:
Cui plures honorum debentur Aræ,
quàm à Lacedæmonijs *Polidoro*, à Romanis *Vitellio*.
Offert inſuper aureas POTOCIANIS Capitibus Coronas,
PANNONIA,
ob Sereniſſimorum Hungariæ Regum,
CAROLI & ELIZABETHÆ,
vindicatam à conductis Sicarijs vitam,
in Defenſore gladio
Illuſtriſsimi quondam JOANNIS POTOCKI,
Qui non alterius Sangvinis Purpuram,
quàm ſui generis tuebatur ornamentum:
nec pro alio, quàm pro ſuo corpore, pectus oppoſuit.
Regius enim Sangvis, IOANNIS erat decor,
qui cum Ducali MVHILARVM ſtirpe,
per Purpurati Sangvinis venas,

à Ro-

à Romanis Mutijs, in Regales Hungariæ Trabeas effunditur.
Imago Sangvinis hujus venuſtiſsimi,
egregium addidit decus, in Majeſtuoſa propagine,
Illuſtriſsimi quõdam STEPHANI POTOCKI,
PALATINI BRACLAVIENSIS,
GENERALIS Podoliæ, NOTARII Regni,
& MARIÆ MOHILANKA.
Benè exactus gladius, in vindicias ruit ſuarum Majeſtatum!
ſitiverat enim præ optimo fervore zeli gloriæ Domus ſuæ,
undè peſsimum licet exhauſerit ex Parricidis ſangvinem,
ſuo tamen generi ſenſit conducibilem:
fataliq; ex lucta, & agone Regni,
immortale Nominis ſui reliquit certamen.
Vniq; IOANNIS Gratiæ, Gratiarum omnes ſunt obſtricti faſces.
Sed & Magnanima Regnorum Regina,
Illuſtriſsima SOLTIKORUM Aquila,
ab Oriente & Aquilone Volitans,
non tantùm Sereniſsima MOSCHOVIÆ Imperia,
verùm etiam, Celſiſsimas Domus POTOCIANÆ Majeſtates,
ſideribus æquat.
Regalibus, Regni Poloniæ, Aquilis manum dedit;
quia Regijs duobus, Principem tertium addidit gladium:
ut non tantùm terna POTOCIANA CRVCE,
ſed & ternô Regni gladiô
Victrix triumphet Polonia.
Antiquiſsimi Purpuratorum Procerum Sangvinis, Aquila eſt;
undè graviſsimô meritorum Seniô, in altas provecta Curules,
in POTOCIANVM ſeſe demerſit Eridanum,
ut ſublimiores illius, ex hoc Principum Archipelago Genij,
& novæ denuò, emeriti volatus renaſcantur pennæ.
Sidus eſt Cæleſte,
Alâ dexterâ, Lechicum protegens Orbem.
Lucido licet Solis delectetur ſidere;
Torvo tamen aſpectu, Othomanicam deſpicit Lunam:
Nam omnes Sereniſsimi Regni noctuas arcet,
H quæ

quæ Illustrissimos honorum dies,
& spectabiles Gloriæ annos,
nesciunt intueri:
Ortumq; meritorum, immeritâ claudunt pupillâ.
Sed quis calamus POTOCIANIS Numinibus,
pro gloria tantæ Domus, dignas exarabit aras?
In hoc terrestrium Deorum divino Sacrario,
sub uno Ternæ CRVCIS Lumine,
licèt eruditæ desudent frontes,
non tamen illius comprehendere valent altitudinem,
quæ gloriæ fastis super evecta est.
CRVCEM hanc Avitam, inter Regni viscera,
vitam & cor esse, concludunt Philosophi.
Agnoscunt & Geometræ, quia Avitæ CRVCIS diameter,
jam pridem meritorum immensitate, circulos orbis excessit.
Apollini nihil gloriæ fingere licet; nisi ea rerum egregiè
gestarum adinvenire præconia,
quibus Regnorum celebrantur Numina.
Aritmetici, nullos honoribus subtrahere,
multiplicatos autem in immensum, Orbi præsentare possunt
POTOCIOS:
Qui in Senatorum ordine, innumerabiles habent
gloriarum additiones.
Extra supputatas meritorum summas,
Sub Serenissimis ac Invictissimis Poloniarum Regibus,
SIGISMUNDO III, & IOANNE III,
Duo Pro-Reges, & Sexdecim Exercituum Duces,
Reges & Regnum coronârunt triumphis:
Scilicet hos Magnos Magni fecêre triumphi.
Hi Legum Patriæ Custodes, Argô fuêre sagaciores:
Quis plusquàm centum meritorum Luminibus, Lechico præluxêre Polo.
Hi Leones Regalium Majestatum,
adhuc apertis oculis, è siderum Solio,
integritati Regni prospiciunt,
Cunctisq; Reipublicæ invigilant periculis.

Suntq;

Suntq; ad Solstitialia capita,
Eminentes, ultra Quæ, Regnorum nequeunt ascendere Coronæ.
Tu verò siderum PRINCEPS, Sol es:
Cujus Zelus & ardor boni publici,
dum in signo Leonis BENEDICTINI resplendet,
Serenissimum Religioni aperis diem:
ast fortissima minaris in hostes Ecclesiæ, fulmina.
Vide PRINCIPUM CELSISSIME!
Quanti in Primatiali Tuo Pro-Regis Sceptro
fulgeant Scipionum honores?
Quanti Archi-Præsuleis in Mitris,
gloriæ emineant apices?
Quantæ, in Annulo Pontificio, radient Coronæ Regni Adamantes?
Quanti, in Avitæ CRVCIS signo, numerentur triumphi?
Tolle CRVCEM Tuam Primatialem,
Majoribus attollendam culminibus:
Nos nostram subjectionis Trabem,
Trabeæ Tui subijcimus honoris:
Ut à Benedicta CRUCIS ABUNDANTIA,
quæ denuò BENEDICTI Filij regenerare videtur gloriam,
tanquàm à nativa Trinarum gratiarum perfectione,
magis benedicamur Benedictini.
Restat, ut & meritis, annorum sæcula vincas:
Et CRVCIS in signo, signes sine fine triumphos.

O D E

INtaminatos Roma Quiritium
Submitte fasces: Troja Curulium
Submitte colles: Principumq;
Purpureas Trabeas, Ducumq;
Clavas potentes. Mars sua deferat
Vexilla Regum, Sceptraq; Regia,
Palmasq;, laurosq;, & triumphis,
POTOCIÆ Procerum coronet

CRUCIS Trophæum. Cujus Imagine,
Frontes Heroum, Gloria comprobat:
Quorum minaces atq; torvos
Bistona Luna nequit tueri
Vultus. Tremebat totaq; palluit;
Postquàm repleti terga tumescere
Spectasset Istri, & fluctuantem
Hauserat in Getico cruore
Pontum. Vagantes cujus in Amnibus,
Invicta semper POTOCII manus,
Submersit omnes Principatus,
Littora tum CRUCIBUS reclusit.
O quem fluentes Pleiádes gravem
Luctum pluebant! & queruli satis
Noti gemebant fracta Lunæ
Cornua: tum cecidisse stellas
Ab Axe Thracum. Nam gladius CRUCIS,
Succidit Ultor, colla tumentium,
In hostium demente crista,
Tarquinij meliore clava.
O Magne PRINCEPS, Cui meritis parem
Videbit ætas! Patricios, Cyros,
Pompeios, & Scipiones,
Aemilios, superas triumphis.
Regale Sceptrum, Regia Gloria,
Regni Corona, & Purpura Principum,
Martisq; campus, Sors Polona,
Nonne Tuis meritis triumphat?

CO-

COLOSSI IMMORTALIS GLORIÆ INSCRIPTIO III.

Nuncupatio Votorum, coram Altissima CRUCIS POTOCIANÆ *Ara, in votis & precationibus Regij Archicœnobij Tynecensis.*

NOminis excelsi, Cultores, stamus ad Aras;
Scilicet ante *Crucis* Labarum, Quo Regna triumphos
Expandunt: Lechicoq; Polo victricia signa
Mars infert victor, generosus ab agmine belli:
Par Constantino Magno, sed *Major* Achille,
Viribus invictus, firmisq; *potentior* armis
Pompejis: gemini compescens limina Iani,
Et Patriæ, placidæ concludens fædera Pacis.
Hostibus in *Crucis* hac Ara, metuenda coruscant
Fulmina: Regales Aquilæ *quibus*, axe superbas
Turcarum Portas, & celsas vertice turres
Dejiciunt, cristas, galearum tegmina frangunt:
Sulphurei, plenis concursant ignibus, ignes,
Et Iovis irati monstrant in Cornua Lunæ
Prospectum, totumq; polum sævire Polonum,
In Geticas Acies: ut constet quòd moderetur
Cum Iove divisum Regina Polonia Regnum.
Hoc Anathema damus, damus irrevocabile *Votum*;
Floreat *ut palmis* CRUX Hæc, *laurusq;* triumphet:
Ex cujus ramis, excrescant *Regia Sceptra*;
Reginæq; Rosæ, Procerum *clavæq;* potentes:
Pontificum *Violæ*, tum Principum amæna *propago*,
Cæsarum & in Solium, consurgant aurea *poma*.

Tertia Parsq; *Crucis*, summas quoq; claudat honores.
Nosq; Rosis Benedictinis distingvimus Aras,
Quales parturijt BENEDICTI Gloria Patris;
Ex quibus, alma Tuis nectentes serta triumphis,
Spargim9 ante CRUCIS Solium: nostrumq; LEONEM
Sistimus; ut torvis oculis speculetur in hostes,
Atq; Tuos fasces defendens ungve potenti,
Excubet ante Thronum *Pro-Regis*, Sceptraq; servet.
Maxima POTOCIÆ Domui sit gloria semper!
Impleat atq; DEI, totam Benedictio tota;
Vt præsit Regnis, Regum teneatq; coronas;
Et CRVCIS in signo, pateat victoria plena.

